



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvtii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De pusillanimitate. Cap. 22.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

*Modus eluendi maculam, nimia
confidentia.*

PRIMVS modus est: Confide-
rare quid sis, & quid sint opera tua,
cum sanctorum operibus, quæ vel
egerit, vel amici Dei adhuc in mun-
do degentes, agunt, collata.

*Opera que
agimus no-
stran non esse
sed Dei.*

SECUNDVS est, Cogitare illud
etiam modicum quod agis tuum non
esse, sed Dei sine quo nihil agere po-
tes. Non enim sumus sufficientes cogitare
aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficien-
tia nostra ex Deo est.

*2. Cor. 3.
Seruus Dei
de operibus
suis loqui
non debet.*

TERTIVS est: vt nunquam de
operibus tuis loquaris, nec ad ea
consideranda te conuertas, nec illis
qui ea laudant aures faciles præbe-
as, imò à te laudantibus, tanquam à
Demone fugias.

*De pusillanimitate,
Macula XXI.*

CAPVT XXII.

MODICAE fidei quare dubitasti
Ex diametro vitium pusillani-
mitatis repugnat superiori, nec illo
minus

minus esse existimandum est. Et enim illi qui de seipsis nimium confidunt, se quidem extollunt, ac maiorem quam deberent, de suis operibus opinionem habent: Hi verò in sua cogitatione diuinam magnitudinem & misericordiam imminuunt: Illi totam ferè spem in operibus suis collocat, hi adèd vix vllam, vt penè diuinæ gratiæ iniuriam faciant.

*Ad opem
diuinam, nō
ad opera
nostra respi-
ciendum no-
bis esse.
Philip. 4.
Rom. 9.*

Quemadmodum superiori capite diximus, ad præclara & vitæ æternæ meritoria opera efficienda simul concurrunt; Deus tanquam principalis author, & liberum nostrum arbitrium cum operibus. Iam si vires nostras tantummodò mensuremus, nihil sumus aut possumus: at si diuinam opem respiciamus, omnia possumus: quemadmodum S. Paulus ait. *Omnia possum in eo qui me confortat*: Qui etiam alibi dicit. *Non volētis, neq; currētis, sed miserētis est Dei.*

Quando igitur te ipsum consideras, tuisque viribus equa lance ponderas, te in spiritali semita, quæ admo-

admodum ardua & laboriosa est, progredi posse diffidis, reminiscere quod hoc tuis tantummodò viribus effecturus non sis, sed Dei qui principaliter hoc agit. Quod de temetipso qui vilissimus & nihil es, diffidis, benè ac laudabiliter agis, sed quod in Deo qui omnia potest fiduciam non constituas, hoc reprehensione non caret.

Necessarium itaque est profectum facere volenti, vt de se quidem atque operibus suis diffidat: sed laborando pro viribus confidat in Deo, atq; spe de illo cõcepta animum fortem grandia operandi, & ad altissimum perfectionis apicem, diuino cum adiutorio pertingendi, assumat.

O quàm ingentia damna secū adducit hæc pusillanimitas: O quantum nobis bonorum causa est confidentia in Deum. Deus enim Pater *Deus tantū nobis donat,* noster benignissimus tantum nobis *quantum in eo confidimus:* donat, quantum in eo confidimus: *qui magna confidentia præditus est, magna & ingentia à diuina maiestate*

iestate impetrat. Et certè quomodo Sancti tam præclara opera, & stupenda miracula edere potuissent, nisi singulari in Deum fiducia, qua se quilibet etiam stultenturos sperabant, ornati fuissent?

*Confidentia
recta hono-
rat Deum.*

Qui maiorem in Deum habet confidentiam, ampliori eum honore afficit. Pusillanimis inhonorat Deum, dum eum non agnoscit, nec quæ deberet, de illius pietate, opinionem habet, neque in eius auxilio, vti oportuerat, spem suam reponit.

*Animus ex-
celsus pluri-
mum condu-
cit ad per-
fectionis ad-
eptionem.*

Quapropter quisquis es, qui ad aliquem perfectionis gradum pertingere desideras: excelsum & generosum animum assume, & omni spe tua in Deo, qui potest & vult tibi opitulari, constituta, immobilis & firmus permane in coeptis tuis: nec à pusillanimitate quouis modo abstrahi vel præpediri te patiaris, vt dicas, non potero perseverare: sed constans & stabilis esto, & confide in Deo, cui non est impossibile omniv. Et si dum tuas vires expendis, à spe omnino destitueris: hac

Luc. 1.

confi-

PARS PRIMA. 41

consideratione animum vacillan-
tem erige, quod cum Dei viribus &
ope omnia tibi erunt facillima: *In-*
Matth. II.
gum enim meum, vt Christus ait, suauis
est, & omnis meum Deo.

Maximè verò caue ne retrorsum *Retro in via*
redeas, nec tantum vt non redeas: *Dei redeun-*
sed vt reuerti retro ne cogites qui- *dum non est.*
dem, quia *nemo mittens manum ad ara-*
Luc. 9.
trum & aspiciens retro aptus est regno
Dei. Vxor Loth mox vt retro aspe- *Genes. 19.*
xit, conuersa est in statuam salis &
naturam commutauit. Ita & tu si
retrorsum conuersus fueris, immu-
taberis & alius eris ab eo qui ante
fuiisti, viribusque, & voluntate pri-
uaberis.

Cùm itaque tanti intersit, ne pu- *Ad perfe-*
fillanimitati manus demus, iisdem *ctionis con-*
hinc verbis omnes qui Deo in verita- *secutionem*
te & corde perfecto seruire deside- *necessarium*
rant, adhortabor, quibus S. Paulus *est in bonis*
Corinthios monet, cùm ait. *Itaque immobilis*
fratres mei dilecti stabiles estote & im-
effi.
mobiles, abundantes in opere Domini sem-
1. Cor. 15.
per, scientes quod labor vester non est ina-
nis in Domino.

Quæ

Quae verba eadem repetam
& inculcabo, quia admonitio haec
magis ponderis, & multae confide-
rationis est: Quandoquidem multi
in hoc mari pusillitatis sub-
merguntur, atque ad scopulum hunc
alliduntur, & difficultate viae per-
terrefacti animum abijciunt, sicque
vel retrorsum reuertuntur, vel om-
nino subsistunt, aut lente admodum
procedunt.

Et ne pluribus: notet diligenter
monitionem hanc quisquis delibe-
rato animo statuit seruire I E S V
Christo, benignissimo, nostri aman-
tissimo, atque ad succurrendum, om-
nibus in se confidentibus, potentis-
simo & paratissimo.

O bone I E S V auxiliare nobis,
nec patere ut in hoc scopulo nau-
fragium patiamur, aut in mari hoc
tempestuoso submergamur: manum
tuam opitulatricem nobis porrigere.
Adiuua nos bone I E S V: Succurre
nobis I E S V amantissime Pater no-
ster. Recordare te nostrum, & nos
tuos esse: Tu es Pater noster & nos
filij

filij tui, vt dicere possumus cū Pro-
pheta. *Quomodo miseretur Pater filio-* Psalm. 102.
rum, misertus est Dominus timentibus se:
quoniam ipse cognouit figmentum no-
strum, recordatus est quoniam puluis su-
mus.

Tu Domine es ipsa bonitas, in
nobis verò dominatur iniquitas &
malitia: Tu es summum bonum, nos
puluis, cinis, & lutum. Tu es omnia, *Deus est*
nos verò nihil. Manus tua nos fecit, *omnia, nos*
manus tua nos sustentat, & manus *verò nihil.*
tua, vti piè confidimus, nobis in hac
vita gratiam & perfectionem, in fu-
tura verò totius perfectionis abso-
lutionem, & omne bonum, nullis
vnquam sæculis finem habiturum,
largietur. Amen.

Modus eluendi maculam pu-
fillanimitatis.

PRIMVS modus pusillanimita-
tem fugandi est: Considerare sum-
mam maiestatem & omnipotētiam
Dei Patris nostri.

SECUNDVS est: Sacras literas,
& Sanctorum qui nos præcesserunt,
vitas

vitas inspiceret & cōsiderare, quomodo Deus semper illis, qui deliberati fuerunt illi seruire, eumque super omnia diligere, auxilio fuerit: ac secum cogitare, non esse abbreviatam manum Domini, ipsumque esse eundem Deum misericordix, qui semper fuit, vti S. Paulus testatur, *IESVS Christus heri, & hodie, qui & in secula.*

Hebr. 13.

TERTIVS est: Animum sibi addere, præmij & amoris, quo Dominus nos complectitur, propositione, hoc pacto nosmetipsos alloquendo. Nolite terreri atque exanimari anima mea: assume vires & gaudens iter cœptum profere: Conuerte oculos ad ingentia illa bona quæ tibi Deus præparavit; attende amorem illum, quo Dominus te complectitur, qui tam immensus est, vt de ipsius auxilio dubitare nequeas, imò certissima & securissima sis, eum pro sua clementia, opem tibi etiam immerita, nunquam denegaturum. Viriliter igitur age, & confortetur cor tuum,

*Præmij cōsideratio
zoh. & pusillanimitatem.*

quia

PARS PRIMA. 145

quia res tua agitur: Noli metuere, aut negligenter agere, sed forti & constanti animo, in cœpto itinere perſiſte, ac cogita ſi non procedas, quòd tibiſſi nocitura ſis: Et certè cui proderis, ſi teiſſam negligis? Ergone tui cura abiecta, ad præſens exitium feſtinabis? Ergone patieris vt hoſtes te interimât, nec cùm poſſis, te contra eorum inſidias & molitiones tutaberis?

Miſerum te, ſi hoc oſcitâter agis: vide ne tibiſſi deſis, quia Deus tibi opitulatur: En I E S V S Chriſtus pro te eſt, & non ſolùm te adiuuare paratus eſt, ſed etiam rogat, vt te ab ipſo iuari ſuſtineas: imò de tua rebellionẽ cõqueritur: *quoties, inquit, ſicut gallina congregat pullos, volui congregare te ſub alas, & noluiſti* Et rurſum. *Ego ſto ad oſtium & pulſo. Confide igitur anima mea in Deo, & penſa quòd nullus ſperauit in Domino & conſuſus eſt.*

Matth. 23.

Apoc. 3.

Eccleſ. 2.

Miſera: nunquid non cernis quis te præſtoletur? An vocem amantiſſimi ſponſi tui, ſuauiſſis his ſermonibus

I E S V S
Chriſtus vo-
cat animam

G nibus

nibus te inuitantis non aduertis.
Surgere prope sponsa mea, columba mea
veni: iam enim horrida hyems laborum,
& aduersitatū pertransijt, difficultas
& asperitas viæ omninò sublata
est: semita morte & passione
mea complanata & facilis facta est.
Transierunt imbres tribulationum,
quæ te pusillanimum & angusti ani-
mi reddebāt: Veni igitur anima, spon-
sa mea, amica mea, columba mea, electa
mea.

Cant. 2.

Cant. 2.

Cant. 2.

In foraminibus petra, in cauerna me-
cerie. Veni & omnem à te propelle
timorem, quia ego tibi preparavi
latebras, in quibus abscondaris, quan-
do inimici tibi molesti esse, aut ite-
rium impedire parant.

O anima erige oculos ad IESUM
cruci affixum, aspice sanctissimam
manuum ac pedum vulnera, hæc
sunt foramina petra: contem-
plare porro, sacratissimum latus eius lac-
teum perfossum, hoc est cauernæ me-
cerie in qua abscondaris. Plagæ ma-
nuum ac pedum sunt loca tutissima
ad quæ, dum inimici & tentatione-

Vulnera
Christi sunt
anima pu-

bus & persecutionibus exagitant, *fillanimi tu-*
 perfugium habeas: *speciatim quan-*
 do pusillanimitate tentaris: tunc *tuum refu-*
 ingrediere sanctissimas has vulne- *gium.*
 rum cavernas, atque in illis requies-
 cendo, conuerte te vndique ad sa-
 cratissima illa viscera, & pretiosis-
 simo sanguine Christi te totam per-
 funde & abluere, sic namque subito
renouabitur vt aquile iuuentus tua, & e- *Psalms. 102.*
 liminato timore, ex formidolosa
 efficieris fortissima & robustissi-
 ma: & quod superest viae velociter
 conficies. I E S V S tecum sit in sae-
 cula saeculorum. Amen.

*De metu nimio, & inordinato
 poenarum & spectrorum.*

Macula XXII.

CAPVT XXIII.

QVAE prius nolebat tangere anima Iob. 6.
mea, nunc pra angustia cibi mei sunt.

Ex pusillanimitate, de qua praecedenti capite diximus: nascitur in anima ingens metus Dæmonum, spectrorum & omnium minimarum corporis molestiarum, vt sunt fri-

G 2 gus,